



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvrgensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Ex M. SS. Petri VVagneri Abbatis collectaneis, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-13591

- XXVIII. IOANNES III. Hardlieb, dictus resignauit 1501. ob. 1505. in Regni sepulchris. huius misericordia et in egenos liberalitas celebratur.
- XXIX. PETRVS Wagner, sub quo Monasterium flammis absumptum: dispersi fratres, Abbas annis duobus exilii rediens cepit quae potuit rescire. ob. 1511.
- XXX. LEONARDVS Greff ob. 1533.
- XXXI. IOANNES IV. cognomine Rumpfhart. Monasterium ad bonum statum redegit. ob. 1458.
- XXXII. IOACHIMVS Gendr Faucentis. annis quinq. prof. rem. auxit. maiora animo conceperat, quae mors prematura antenerit, et successori reliquit. ob. an. 1553.
- XXXIII. BENEDICTVS Gaugentrieder prof. an. 44. primus infula donatus à Clemente VIII. P. M. ob. an. 1597. feria sexta. 77. optabat.
- XXXIV. CASPARVS successit, sub quo templum parochiale S. Georgij eleganter extructum est. prof. annis 22. an. 1619. in Adventu Abbatiam resignauit in capitulo.
- XXXV. IOANNES Pleib im Haus, Abbati Casparo subrogatus, paucis vixit mensibus.
- XXXVI. IOANNES Nagl elig. die vigesima prima mens. Iulij an. 1620. cui faueat numen.

Ex M. S. S. Petri Vvagneri Abbatis
collectaneis,

Anno 1504. die Philippi. et Iacobi Dux Rupertus occupauit oppidum Tiesburg et abstulit omnem substantiam in pecuniis et aliis quae ibidem habebantur.

Die 24. Maij, Dux Rupertus occupauit ciuitatem Rain., et compulit fratres meos ac rusticos sibi jurare, et se abnegare, et spoliavit Monasterium Schönfeld, idem facturus Monasterio meo, mihique scribi fecit, ut Abbatiam renunciarem, et agerem privatam vitam cum fratribus. Sed per Ducem Albertum mihi commissum est, transferre me Augustam ibidemque manere donec sedaretur negotium.

Anno Domini 1504. die 8. Iunij. Stipendiarij Ducis Alberti in Fridtberg et Aichach cum ciuibus nonnullis subito Monasterium adorti icibusq. bombardarum portas ac muros deiicientes, propter continuas molestaciones atque incensarum rusticorum meorum, penè omnia iumenta abigentes, ad Fridtberg secum ducebant. De Monasterio abegerunt ad 700. circiter oves, 27. Vacca, 50. scrophas, 60. capras, et 32. equos.

Anno 1505. 7. Augusti comburitur totus fere pagus Thierhaupten, domus nempe 82. ac omnia Monasterij aedificia exceptis stabulis duobus, Fruges ad 500. Schobert et 100. plaustra feni, in unum locum comportata idem ignis asumpsit. Milites enim circiter mille quingenti ex pagis Sueuicia, Augusta et Werdea traiecto, Lico passim omnia populabantur, ac tandem in hunc locum venientes diripuerunt et incenderunt. Causa, erat haec: Tum alias saepe, tum hoc ipso die summo mane, Duce Arbogasto de Kruttenstein capitaneo in Rhain rustici Thierhauptani tot excursionibus vexati pradam plurimam ex vicinis Sueuorum pagis trans Licum agentes in Monasterium introduxerunt. Interim Capitaneo partem suam abigente, rustici in Monasterio suam relinquebant, donec hostes aduenerent, qui mox tanto numero venientes omnia incenderunt. Monasterium ipsum hoc tempore non orationis domus, sed pradonum locus fuit.

Hic de nocte, anno 1504. ipso festo Natiuitatis Mariae rustici mei trans flumen Licum circiter 150. equos compertos trans villam ad siluam minauerunt, quos rustici Sueuici in magno numero insequentes, dum consequi non possent, Monasterium intrantes, in illud, quae se vlciscentes, ipsum cum Ecclesia, domo abbatiiali, ac omnibus locis conuentualibus incendentes, villam concremauerunt. remansit quae solaturris cum quatuor campanis, aliis tribus quae in Choro pendebant igne resolutis. Remansit et quaedam parua adicula murata et statulum unum. Porro diuinis. Eucharistia Sacramentum manibus Laicorum vix de igne ereptum atque in fabricam portatum ibidem super incudem per noctem stetit.

Anno 1506. primo Aprilis, hic inssu Principum Petrus Abbas Monasterio restitutus est, per Nobilem virum Michaelcm Riederer, reuolutis penè duobus annis exilij sui.